



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Cap. IV. Studia, tertia probatio, Sacerdotium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

cum gaudio, non facile dixerim,
quod jam se Religiosum, & So-
cietati arctius devinctum videret.

CAPUT IV.

STVDIA, TERTIA PROBATIO,
Sacerdotium.

I.

S Studijs Theologiæ ita se im-
pendit Ludovicus, ut severa *Inter*
sibi lege præceperit, quidquid ab *studia*
ijs vacui temporis habuerit, non *nihil de*
aliter, quàm cum DEO vel cœliti- *virtute*
bus, orando, vel in obsequijs egro- *remittit.*
torum, cum facultate Superiorū,
consumere: quare nunquam, abs-
que necessitate, conspectus est ex-
tra suum cubiculum; quod in su-
prema Collegij parte, prope ho-
rologium sibi impetraverat, ubi
propter ascensus & frigoris, aliā-
que incommoda, jam nullus am-
plius habitat, illi hæc ipsa mole-
stiarum occasio fuit optatissima;

C quam

quam etiam vicinia sacelli domus
 stici, quod ibi tunc erat, ei faciebat
 jucundior; illuc enim & summo
 mo manè ad sacrum, quod nostris
 Theologis facere solebat P. Fran-
 ciscus Suarez, & interdum, ad re-
 piendum spiritum studijs fatigatus
 poterat se conferre. Sed & in ip-
 studiorum remissione ita se con-
 tinebat, ut à legibus modesti-
 disciplinæ religiosæ nec latum un-
 guem recederet, nihilo planè se-
 lutior, quàm fuerat in ipso Tiro-
 cinio, cujus rigorem non minu-
 rat, sed auxerat studiorum labore
 quibus autem diebus à studijs er-
 vacatio, illos gaudebat in officio
 humilibus transigere.

II.

*Petit
 mitti in
 Japoniã.*

Sub idem tempus venit Procu-
 rator Japoniæ, aliquot socios col-
 lecturus, qui se in arduam illam
 expeditionem adjungerent. Hi
 adscribi summis precibus flagita-
 vit

vit Ludovicus, omnem salutem nationis ejus procurandam vitam, & sanguinem offerens. DEVS autem, qui longioribus, nec levioribus eum destinaret laboribus, fecit, ut Superiores votis ejus, utcumque reperitis & ardentibus, neququam annuerent. Ergo progrediens in Theologia, sic probavit omnibus acumen ingenij sui, ut ipse P. Franciscus Suarez non raro contulerit eum eo res difficiles, rarus Doctor cum discipulo; falsusque sit, multum adjuvari se ejus judicio: quam laude, nescio quae major possit optari. Certè in asserenda Deiparae Conceptione, in gratia copiosissima, non solum doctrinam sui magistri assecutus est Ludovicus, ut ostendit in expositione Cantici canticorum lib. 1. exhort. 11. sed eam etiam praevertens, dum illam ne maculari quidem ab Adamo potuisse docuit, ejusdem operis lib. 7.

In Theologia excellit.

C 2 exhor-

exhort. 30. quia voluntas ejus in primo parente constituta non fuerit, ut cui gratia DEI non hereditario, ut alijs, sed altiore jure tanquam Matri DEI, erat obventura. Fuitque tam confirmatus in eadem sententia, ut in eandem utrumque fratrem suum, Dominicanos, perduxerit; quod in ordine illo palam omnibus fuit.

III.

Mittitur ad Ognatense Collegium. Studijs absolutis, Anno 1571 cum vigesimum quartum ætatis jam expleffet Ludovicus, cum alij condiscipulis venit ad Ognatense Collegium, à B. P. Francisco Borghia 27. annis antea fundatum, & spirans etiamnum exempla suæ conditoris; quorum fragrantia novos ei spiritus attulit, omnimodæ submissionis & virtutis. Inde verò ad 18. Octobris Anno 1579 Villagarciam est missus, tertiam ibi probationem, in Societate consue-

Villagarcia tertiam probationem subit.

consuetam, subiturus. Instituit
eam probationem S. Ignatius, ut
sui devotionis, & abnegationis
fervorem, si fortè inter studia sci-
entiarum remiserit, restaurent, &
ad gradū vsq; perfectionis promo-
veant, eóq; paratiores, & alacriores
ad aliorum salutem per ministeria
Societatis procurandā, procedant.
Gavisus est illa occasione Ludo-
vicus, ea præcipuè ratione, quòd
P. Balthasarum Alvarez instructo-
rem sit nactus, ut optayerat.

IV.

Isti cum prolixè distinctéq; ex-
posuisset, quidquid habebat in sua
conscientia, Pater, qui eum perat-
tentè, fixis in crucem ante se po-
sitam oculis, audiverat, non aliud
respondit; quàm pauca hæc verba:
*Hoc est habere virtutem infantilem,
& nondum adultam : oportet eam
nutrire, & roborare.* Statimq; conti-
cuit, Ludovicus, ut ipse de se scribit

*Aperit
P. Alva-
ro suam
conscien-
tiam.*

C 3 in

in vita P. Alvarez cap. 19. agnosce
verum esse, quod sibi dictum erat
recessit cum firmo animi decreto
exuendi infantiam illam virtutis
& removendi quidquid eum à pro
fectu retardaret; cum admiratio
ne, quòd Pater ità penetrâsser ani
mi sui recessus, ac tam paucis effi
cax adhibuisset remedium, judi
cando eum indigere magis humili
ationibus, quàm prolixis oratio
nibus. Et verò non immeritò, vir
lumine cœlesti plenissimus, per
specta capacitate purgatissima
mentis, considerans quantorum
id ætatis posuisset initia meritorum,
judicavit virtutem, qua tunc præ
ditum videbat, comparatam cum
illa, quam consequi posset, si per
geret, esse instar infantis; licet in
se spectata virilis jam fuerit. Sed
neq; segniter tantum magistri disci
pulus incubuit in ejus augmenta
majore, quàm unquam aliàs, ani
mo

mo se se ad anteriora conatus
extendere.

V.

Interea DEVS etiam illum ad
arctiorem secum familiaritatem
inducere, illustrare mentem, vo-
luntatem afficere: vnde crebriores
jam, dulcioresque aspirationes
emicare in coelum; obedientiae &
humilitatis cujusdam excellentis-
simae sensus existere, quibus ad
majores quotidie flammam amoris
erga DEVM & homines, & intimam
cum Divina Majestate conjun-
ctionem, praeparabatur. Exinde
coepit sentire interna DEI collo-
quia; quae dum anxius haeret, an
pro divinis accipere debeat, inter-
rogavit eum Christus: *Tu, si quis
esurienti offerat ramum gravem fru-
ctibus, quid faceres?* Respondenti,
comederem fructus, ramum abij-
cerem. *Sic facias*, ait illi, *internis al-*
locutionibus: sume eos, qui tibi offerun-
tur, enda.

Experi-
tur in-
terna
Dei al-
loquia
Docetur
quomodo
illa sunt
accipi-
tur, enda.



tur, fructus bonorum operum; exerce
te in his, quæ tibi suadentur: neque
fatiga, inquirendo à quânam arbore
decerptus sit ramus, quo tibi prabentur.
Acquievit huic monitioni
quia cum omnia, quæ sibi dicebantur
interiùs, essent apertè bona &
congrua suæ conditioni, non erat
cur multùm dubitaret ijs obsequi
sicut necesse est facere, quando
potest aliquid subesse periculi: pro
ut ipse postea scripsit in Duce spiri
rituali tractatu 1. cap. 23. num. 2.
ubi etiam hujus rei, quæ sibi even
erat, meminit, reticito suo no
mine.

VI.

*Variè
exerce-
tur.*

Observavit omnia diligenter P.
Alvarez. & ut tam bene præparato
animo non deesset, varijs modis
cum domi, ac foris exercuit. Et quia
Villagarcia populis numerosus
non est, Medinam, ad tria milliaria,
misit eum cum procuratore fre-
quenti

quenti mercatu, ut ea, quæ empta forent, domū portaret. Aliàs cum socium dedit alicui Novitio, ut per pagos vicósque concionem, haberet ad rudes operas; id, quod ipse faciebat singulari fervore & gratia. Nonnūquam adjunxit eum alicui condiscipulo jam Sacerdoti, ad excursionem aliquot dierum, ut hominibus, qua fieri poterat, prodesse. Neq; enim P. Alvarez missiones longas in tertia probatione amabat, ne dum experimentum capitur gratiæ, qua quisque valet agendi cum proximo, diuturna intermissione refrigescat amor exercitationis domesticæ; cujus eo tempore potior, ad sui victoriam & abnegationem obtinendam, habenda est ratio.

VII.

Non defuit sibi ipsi Ludovicus, *Avidè*
& omnia media proficiendi arripuit avidissimè: plurimùm exci- *studet*
proficere

C 5 tanti-

*in vir-
tatibus.*

tantibus eum sermonibus P. Alvarez, quos de Summario Constitutionum, & regulis Societatis habebat, plenos lumine sibi interorandum infuso divinitus; quorum memoriæ causa ille contulit in compendium, à pluribus postea descriptum, & habitum in pretio. Studuit etiam à singulis aliquid in perfectionem animæ suæ referre, cum omnibus quidem comiter agendo, familiariùs tamen cum P. Christophoro Gonzalez, de quo scribit in vita P. Alvarez cap. 47 plurimùm se adjutum ejus commercio, præsertim in corrigenda vana persuasione, quòd difficile sit amare confusionem & contemptum; cum tamen ea sit virtutissima penetrandi in familiaritatem DEI: prout nominato P. Gonzalez evênit. Multùm etiam utebatur P. Francisco de Corduba filio ducis de Cardona, qui nimio

per

per omnem occasionem vincendi sui studio, mortem præmatu-
ram in ipsa tertia probatione ac-
cessit, febris, per humiles labores,
in solibus, capite non munito, ac-
censa sublatus; cum novem annis
in Societate sanctè vixisset, non
sanguine clarior, quàm virtute.

VIII.

Mense Decembri Anni 1579. *Admo-*
Ludovicus, expleto jam vigesimo *vetur*
quinto ætatis, ordinatus est ad *saeris*
Epistolam, & sequente jejunio *Ordini-*
verno ad Evangelium, denique *bus.*
19. Martij, festo S. Josephi, Sacer-
dotio initiatus: ad quod ritè susci-
piendum se mensura divinarum
rerum commentatione studiosis-
simè paraverat, unà cum P. Alva-
rez, ad visitandam Provinciam
Toletanam evocato: qui per id
tempus peculiari studio suum ei
sensum de tribus affectis Christi
Domini, Paupertate, Dolore,
Con-

*Primum
Sacrum
facit
Valliso-
leti.*

Contemptu communicavit, a
societatis illius amorem eum
inflammans. Primum deinde sa-
crum fecit Vallisoleti, in feste
Annuntiatae salutis nostrae, singu-
lari fructu animi sui, & gaudio
cumque operam confessionibus
tempore Paschali audiendis de-
disset, redijt Villagarciam, vbi no-
vo spiritu tertiam probationem
est prosecutus, & novos à coelo
favores expertus: quorum ille no-
minimus fuit, quòd cum post sa-
crum gratijs Deo agendis esset in-
tentus, repente senserit, ut ipse
scribit in vita P. Alvarez cap. 48
quendam radium lucis, transeun-
tem instar fulguris, quo ipsi osten-
debat non ita difficile esse, ut
visum erat, sed valde facile, tam-
serio & cupidè amare contemptum
ac probra, quàm alij honores &
existimationem affectant, simul
etiam ad illa quærenda est animatus,

*Luce di-
vina con-
gnoscit
posse a-
mari cõ-
temptum.*

tus,

tus, cum spe obtinendi. Hanc autem gratiam acceptam retulit precibus magistri sui Alvarez, non diu antè, Belmonti 25. die Julij, cœlo recepti. Præterea nunc alia sensa, quæ tum de alijs, cum præcipuè de humilitatis virtute accepit hoc tempore probationis, referenda suis locis in libro sequente.

C A P U T V.

SCHOLASTICÆ OCCUPATIONES, & solemnis Professio.

I.

ANNO 1580. ad Festum S. Lucæ Salmanticam est missus Ludovicus, & post egregiè propugnatas assertiones ibidem ex tota Theologia, Legione Philosophiam anno sequente docere coepit, magna cum laude, & estimatione doctrinæ, nullo tamen suo gustu, nisi quem dabat obedientia: quâ fiebat, ut ei muneri cumu-

*Docet
Philosophiam.*